DE

MELANOSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS ANATOMICO-PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

ExercitatE SIBI CONCEDANTUR

DIE X[illegible]II. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERM. FRIDERICUS BAUMBACH

SAXO-[illegible]URINGUS.

Opponentibus:

R. HEYDOFF, med. et chir. Dr.

B. RUPPRECHT, med. et chir. DD.

C. EISFELD, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

Typis Fratrum Schlesinger.

MANIBUS PATRIS

S. E. V.

NEC NON

PATRUO

OPTIMO, DILECTISSIMO

FRID. BAUMBACH,

SACRORUM ANTISTITI APUD LONGOSALISSENSES

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTO

Vocabuli notio et usus — Historia eorum, quae de melanosi ab auctoribus tradita sunt.

Melanosis (a μέλας niger, μελανόω nigrifico) significat duas quidem res: et vitae laesae actionem, qua fit, ut materia quaedam gignatur in corpore, fusco vel nigro tincta colore; et materiam ipsam contra institutum vitae sanae congestam. Quam quidem loquendi rationem, quamvis usu et consuetudine acceptam, genio linguae congruam esse vix crediderim. Nec, veterum scripta si evolveris percensuerisque, vox illa in conspectum tibi ventura est, non quin illi rem ipsam nossent, sed quod eam pro aliorum morborum symptomate habuerunt eoque minus accurate perquisiverunt. —

Quae Hippocrates 1) de nigrore tumorum quorundam et ulcerum tradit, nomine μέλασμα usus, magis ad spha-

---

1) Praedict. Lib. II. Sect. II. p. 77. edit. Foesii.

celum referenda videntur, dum pustulae illae, quas ἐπινύκτιδας vocat, quasque cum cancro comparat, huc forsan pertinent. Atque etiam Celsus 1) de cutis affectione loquitur, qua pustulae prorumpant, a Graecis „ἐπινύκτιδες" nominatae, quas vero, quum in exulcerationem saepius abire memoret, alii alicui cutis morbo adnumerare malim. Porro ad melanosin quodammodo spectat turba morborum, quos atrae bili tribuebant veteres, qui et ipsi bene cognitas habuerunt materias illas nigras vel aliter coloratas, quae illis morbis confectae et per corpus sparsae cutem commaculabant, urinam, sudorem 2) aliaque fluida, aut quae ex ventriculo intestinisque vomitu et alvo edita sunt, colore tingebant. Morbi, qui radices agunt in atra bili, ut paucos afferam, sunt: melancholia, febris atrabilaria, melaena, quibus materiam illam propriam esse multis exemplis testantur auctores 3); quos si accuratius percenserem, actum agerem, quoniam nuper Heusingerus 4) tam scite, quam diligenter omnia collegit, quae de pigmentis apud auctores et veteres et recentiores exstant. Sed quantumvis veteres medici de morbis illis ipsis disseruerint, tamen in inquirenda materiae illius natura studium minus collocarunt, quam tanquam casu

---

1) De re medica Lib. V. Cap. 28. Lib. VII. cap. 6.

2) Thom. Bartholini. Acta medic. et philosophica anno 1670 et 72. p 155.

3) Lorry „de melancholia." Paris 1765.
Mezler „schwarzgallige Constitution". Ulm 1788.

4) Heusinger „Ueber anomale Kohlen- und Pigmentbildung etc." Eisenach 1823.

quodam supervenire neque morbum sui juris esse, a mira sane nutritionis vel secretionis turbatione repetendum, arbitrabantur. Quod quidem primo demum hujus saeculi decennio proposuerunt Laennec et Dupuytren, quorum uter prior hujus opinionis auctor fuerit, acriter decertatur.

Inde ab eo tempore rei novitate commoti viri et physiologiae et medicae artis periti ad rem propius indagandam accesserunt; neque tamen, quamvis inanes minime fuerint operae et labores, ad liquidum omnia explorata sunt. In causa sunt exigua disciplinae, quam anatomiam pathologicam vocant, notitia, qua nos etiamnunc laboramus, tum rei ipsius difficultas, postremo vero vaga, quae in voce „melanosis" latet notio, quae aliis alia valet. Ita factum est, ut, quae de aegrotationis imagine alii referant, ea alii refellant, quae de morbi natura alii affirment, ea alii negent, ut ne consensio quidem inter auctores sit de iis rebus, quae oculis patent, aut cultro anatomico investigari possunt, ut denique omnes in omnibus dissentiant. Quae dissensio ex brevi earum recensione satis elucebit. —

Laennec 1) auctor nominis novi, melanosin morbum sui juris esse censuit, cujus origo a tela quadam recens orta (tissu accidentel) petenda esset, eamque structurae similitudine inter reliquas formationes spurias, quas pseudoorganisationes dicunt, referendam esse, ita quidem, ut similia signa similemque decursum praeberet. Uno modo constructa varias tela induit formas: aut sacco cincta, aut

---

1) Bulletins de la société de l'école de médecine 1806. No. 2. Traité de l'auscultation médiate. 3 edit. T. II. p. 214. Paris 1831.

absque eo nuda cernitur, aut supra membranas dispersa. Ea est decursus ratio, ut in utroque stadio aliter se habeat tela nova. In primo stadio — quod est cruditatis — ei est color a pallido per transitus varios nigrescens, durities glandularum lymphaticarum, ambitus varius. Interdum tumores parvi in unum coalescunt, quo facto magnitudinem ovi columbini assequuntur et ultra increscunt. In altero stadio — quod est emollitionis — tela antehac solidior ex medio emolliri incipit, et emollitione progrediente in mollem et nigram mutatur pultem, quae, quum partes vicinas insultet, inflammatione excitata, tanquam materia aliena foras expellitur. Ipse Laennec saccum rarius vidit materiam includere; eandemque cystide carentem (non enkystées) indurationem vocat nigram, quae saepissime pulmonibus superveniat, ceteroquin ejusdem structurae sit atque melanosis modo memorata. Quae pulmonum degeneratio a Bayle 1) phthisis cum melanosi appellatur. — Praeterea aliam, quae pulmones tingat, materiam describit Laennec, cui materiae nigrae pulmonalis nomen imposuit, quae, quoniam pulmones alioquin sanos invadat, a melanosis natura plane abhorreat. Signum, quod morbum crescentem et gravius urgentem indicet, debilitatem esse affirmat, quae magis magisque augeatur, dum febris semper desit. —

Brechet 2) melanosin secretione vitiata effici censuit,

---

1) Recherches sur la phthisie pulmonaire. 1810. Paris p. 28.

2) Considerations sur une alteration organique appellée dégénerescence noire, mélanose etc. Paris 1821. — Auch in Harless „Neue Jahrbücher der deutschen Medizin und Chirurgie.“ 1822. V. Bd. 1 St. p. 87.

neque unquam vita propria esse praeditam, quum in materia illa, quotiescunque perscrutata sit, nunquam nec nervi, nec vasa sibi obviam facta fuerint. Materiam illam in omnibus fere organis observavit, magis vero in tela cellulosa, quae inter ea interfuit, quam in ipso contextu, neque solum in homine, verum etiam in cane, caniculo, ratto mure, et maxime in equo griseo, vel albo, cujus rei quae causa sit, nescire se fatetur. Praeter illas, quas Laennec depinxit melanosis formas, materiam nigram etiam in cavum quodlibet effundi posse notat. Saccum vero, quo melanoses circumdatae describuntur, non esse; in tunicae enim adiposae cellulis, quemadmodum adeps huc et huc collecta involucro circumscripta appareat, ita fieri posse, ut materiam aliam, si cellulis illis contenta fuerit, sacco instructam putemus, nisi, accuratiore exploratione instituta, certiores facti simus de cellulis illis, quarum parietes, si alter alteri apponitur, speciem peculiaris illius sacci praebent. Qui iidem parietes solum vasis sanguiniferis organicum quoddam cum vicinis partibus ineunt commercium, dum materia nigra ipsa vel levissimo, quo vita cernatur, vestigio caret. Hac de materia, linteum interdum veluti atramento inficiente, odoris saporisque experte, aqua spirituque vini solvenda, eadem fere sentit atque Laennec, si id unum excipias, quod eam continuo ab initiis nunc mollem, nunc solidam deprehendi vult. Huc accedit alia observatio a Brecheto facta, quae explorandae melanosis naturae lucis aliquid afferre videtur: nigra enim materia, quando aut mollior est, aut in membranis mucosis et serosis deposita jacet, in vasis passim reperitur, quae illis vicina decurrunt, quae

vero arteriae an venae sint, non satis liquet. Postremo similem attingit materiam, quae, et vita integra, in choroidea, uvea, reti Malpighii secernitur; et vita male affecta, in labiis typho laborantium reperitur, inque iis, quae scirrho ventriculi afflicti per os et anum emittunt. —

Heusingerus 1) in pertractanda melanosin universum quidem Brecheti vestigia consequitur, in latiori autem versatur campo, quum omnino pigmenta, inter quae melanosin refert, studio suo amplectatur. In disquisitione de melanosi ipsa, quamvis nihil gravioris momenti jamjam notis subjungat, eo tamen excellit, quod quid sibi natura velit materiis illis conformandis sane ingeniose perquirat. Qua de re infra fusius disseremus. —

Andral 2) omnium de hac re excogitatorum tanquam censor atque corrector evadere sibi videtur. Primum de emollitione, quam subire melanosis traditur, dubitat, quum pulmonum cavernae, quae, quamquam rarissime, materia emollita et foras ejecta, in conspectum venerint, jure fortasse ad tubercula emollita referenda sint, neque multum valeant, quae Trousseau ad emollitionem comprobandam de materia prodat, alio loco solida, alio liquida, quandoquidem a principio eam ita fuisse comparatam, probabile sit. Omnino de quanam melanosis parte emollitio petenda sit? num de vasis sanguiniferis? an nervis? an cellulis? Non esse, neque unquam illam

1) l. c.

2) Grundriss der pathologischen Anatomie aus dem Französischen von Becker. Leipzig 1829. I. Th. p. 346 etc.

sui ipsius actione subire posse hanc mutationem, quae, si quando cernatur, vivis, quae illam ambiant, partibus efficiatur. Porro: indurationem pulmonum, quam vocant, nigram, rarissime dependere a melanosi seu tela recens orta, sed potius ab inflammatione partis, quae, pigmento fortuito admixto, nigrescat. Namque in pulmone inflammato varios a griseo ad nigerrimum colorem aspexeris transitus, licet induratio ubique eadem sit, qua re conjicere liceat, nigram ab alia induratione colore quidem, non natura differre. Quae quum ita essent, eos falli atque errare, qui materiam nigram macularum striarumque instar pulmonibus ceteroquin sanis inhaerentem, tanquam aliud quid describant, uti Laennec de materia pulmonali nigra judicasset. Postremo de melanosi liquida disserit, de varia ejus in variis partibus sede deque melanosi cum scirrho, tuberculis et encephaloidibus saepius conjuncta. —

Albers 1) duos profert casus fungi melanoidis, quo quidem titulo fere eadem complectitur, quae Laennec melanosi tuberculosa. Morbum radices agere censet in tunica adiposa, e qua tumor emergat, adipe ipso, quamquam mutato, nutritus; adipem ab initio flavum ex interioribus tumoris partibus sensim incipere nigro imbui colore, dum, quae ab externis partibus denuo accrescant, priorem aliquamdiu conservent colorem. Ceterum in tumoribus illis morbum ipsum non cerni, neque malum a singula parte eaque afflicta esse petendum, sed potius ab

1) Journal d. Chir. u. Augenheilkde. v. Graefe und Walther Bd. XIV. H. 3. 1830.

universo corpore infecto et labefactato, unde materia morbo effecta in tot tantisque locis accumuletur. Quibus expositis, ut bene distinguatur, monet, melanosis modo memorata a pigmentis nimis coactis, utpote quae, corpore integro neque dyscrasia aliqua vexato, vitae nunquam exitium afferant. Quibus adnumerat melanosin eam, quam multi auctores vocant membranaceam, quia macularum et striarum instar membranarum mucosarum et serosarum occupet majores minoresve regiones. —

Carswell 1), quia voce melanosis res varias diversasque significassent, nomen „melanoma" proponit, ut quibuscunque aliquid nigri obtigerit, commune sit, dum melanosin ipsam in veram et spuriam dividit, quarum quidem illa, velut morbus sui juris secretione turbata exoriatur, haec aut e carbone extrinsecus in corpus invecto, aut e sanguinis elementis chemica quadam vi mutatis, aut e sanguine partem aliquam nimis et longius premente originem trahat. Melanosis vera, ut ait ille, sedem sibi eligit telam serosam, neque vero prorsus aliena est a singulorum organorum compage et textu. Aut in maculas et nodos discedit materia, uti in hepate — quae punctiformis salutatur — aut ad instar tuberculorum omnes fere corporis partes deinceps aggreditur — quae audit tuberiformis — aut in laminas nunc tenuiores

1) Illustrations of the elementary forms of disease. Fasc. IV. Melanoma 1834. Auch Schmidts Jahrb. d. in- und ausländisch. gesammten Medizin Jahrg. 1835. S. 370 etc.

nunc crassiores digesta membranas obducit — quae est stratiformis — aut denique in liquorem abit, qui tumoribus melanoticis destructis, in pleuram vel peritonaeum effunditur, neque vero ipsa secretione conficitur.

Quae Brechet, Andral de melanosi stratiformi et liquida exposuerint, ad spuriam referenda esse, quum illae e vi illa proficiscantur, quam succus gastricus vel acidum quoddam in sanguinem exerceat. Num melanosis mollior sit, an solidior, in structura esse positum partium, quibus materia contineatur, ita quidem, ut tela cellulosa vel serosa interposita, mollior, glandulosa durior evadat. Vel ipsa durior melanosis, quum per se iners sit, nec viva ipsius actione quidquam polleat, emolliri coepit, illis deletis partibus, quae vita aliqua praeditae, eam cingunt vel intrant. Saepenumero cum tumoribus malignis longe aliter conformatis conspicitur consociata, praesertim cum scirrho. — Prima melanosis spuriae species est, quae carbonis particulis in corpus delatis pulmones eosque solos colore nigro infuscat; altera in ventriculo et in visceribus illi annexis cernitur, quando acidum, sive fluidum, sive gasiforme in sanguinem agit, viscera permeantem, vel, vasis ruptis, in eorum recessubus coacervatum. Prout partes, quibus inhaeret materia illa, diversae sunt structurae, diversum conspectum praebet, ita ut punctorum instar, vel ramorum, vel lamellarum, vel liquoris appareat. — Tertia reperitur in pulmonibus et iis organis, quae nutritioni inserviunt, ubi sanguis, quum non satis libere per vasa deferatur, accumulatur commoraturque longius in locis singulis. —

Bendz 1) ex ipsius et aliorum observationibus sibi persuasum habet, quae Laennec de melanosis natura docuerit, in dubitationem quidem vocari non posse; esse autem similem morbum, qui in nimia cernitur secretione pigmenti nigri, sanis vel male affectis corporis partibus admixti — pseudomelanosin. — Melanosis vera, ut ait, ita se habet: Ab initio plerumque externa est, nec, quum et signis mali ominis careat, ita celeriter increscit, nisi irritatur seu medicamine seu cultro chirurgico, quo facto novis viribus mirum in modum adaucta gradu celerato ad exitium tendit, nodis coeruleis nigrisque cutem commaculans et internas majoris momenti partes aggrediens. Raro evenit, ut, tela melanotica destructa, aut foras mittatur materia emollita aut cavum quoddam internum petat. Jam lassitudo occupat artus, ciborum taedium, potus desiderium invadit aegrum, cujus vultus macie ac colore flavo vel viridi foedatus peculiarem praebet aspectum. Urina nonnunquam redditur nigra, rariusque, quae vel alvo, nunc obstipata, nunc liquida, vel vomitu, si quando accedit, eduntur, nigrore imbuta sunt. Mors, memoria ad extremum usque spiritum integra aut abolita, supervenit. De tumorum, qui post mortem in omnibus fere partibus obviam fiunt, structura anatomica investigatio haec docet: Tumores, quorum saepe plures in unum coalescunt nodorum vel racemorum instar connexi, si

---

1) Bendz. Einige Beobachtungen über „Melanose," aus dem Dänischen von Nevermann in Graefe und Walth. Journal Bd. 23. f. 1—4.

persectos scrutaris, textura fibro-cellulosa videntur instructi, cui pigmentum parum arcte infixum est, siquidem digiti illi immersi facile tingantur. Saccus, quem describunt complecti tumorem, e tela cellulosa componitur, quae, hoc succrescente, recedit et densatur. Inde, quum et tumor a vicinis partibus facile solvatur neque, quae antea integra erant, nunc corrupta deprehendantur, colligere licet tumorem tela sane recenti constitui, cui vero vasa non insunt, saccum solummodo ingressa. Tumor, quamquam raro, emollitur; quo facto pulpa nigra, lamellae et filamenta, tanquam vestigia prioris vitae, residua manent. Pigmentum ex albo per varios transitus nigrum in uno eodemque aegroto tumores colorat recens ortos et partes sanas, atque etiam urinam et sedes.

De melanosi et pseudomelanosi cutis, a prioribus auctoribus minus accurate distincta, tres species describit. Primum enim pigmentum, quod aut subito aut lente in rete Malpighii emittitur, per totam vitam perdurat, nisi, quod nonnunquam vere evenit, desquamatione evanescit, vel sudore quasi abluitur, res obvias infuscans. Porro nodi melanotici, baccis juniperi similes, in reti Malpighii radices capiunt, raro apparent et interna eodem morbo afflicta esse indicant. Postremo cutis ipsa mutata texturam fibro-cellulosam induit, quamobrem tunc pigmentum neque abluendo neque exprimendo removeri potest. —

Jam restat, ut, quae de melanosi in nonnullis dissertationibus et aliis scriptis dijudicata exstant, dicam, quae vero, quum ad rem nostram non multum valeant, postea rectius mihi expositurus videor.

Id unum vero, quod Cruveilhier et Albers 1) nuper palam ediderunt, hoc loco memorare velim. Morbo exemplis illustrato, se sub voce melanosis intelligere profitentur et pigmenta nigra et telam nigram, quae in fibras et cellulas, pigmentum complectens, excrescat, quod, si fluidum inhaereat, e tela compressa velut e spongia exeat, sin vero solidius inter fibras intercedat albo colore nitentes, speciem tuberis nigri incisi prae se ferat. Itaque in locum duorum, quae Laennec voluit, stadiorum duas species ponunt, quarum alteri pigmentum liquidum, alteri solidum tribuunt, neque hanc necesse esse rati illam subsequi, licet, si altera alteram excipiat, species liquida solidam antecedere soleat. —

Jamjam ad aliam nostrae disquisitionis nos convertamus partem, qua nuncupare convenit:

QUID, SENTENTIIS ILLIS VARIIS DIVERSISQUE COMPARATIS ET IN CONSENSIONEM QUANDAM REDACTIS, DE MELANOSI STATUENDUM SIT?

Quot quantaeque diversitates in sententiis illis, quae in rebus ipsis confusio insit, facile intelliget, qui, quae modo memoravimus, perlecta habuerit. Sunt alia, quae quo minus accuratius perspiciamus nos impediunt vel

1) Journal für d. ges. practische Heilk. von Horn, Nasse, Wagner. 1. Jahrg. 1837.

literae nondum satis excultae, vel omnino imbecillitas mentis humanae, unde res, pro cujusvis ingenio aliter dijudicatae, derelinquuntur dubiae; alia vero sunt, quae, quamvis sensibus pateant, neque extra humanae perscrutationis fines posita sint, tamen incerta remanent, vel adeo incertiora redduntur eo, quod minus diligenter explorata, vel jam exploratis aliena superaddita fuerint. Quae quum ita sint et in nostra re, auctorum controversias dirimere, rebusque involutis lucem qualemcunque afferre in animo quidem est, num vero in rerum difficultatibus et de exiguis, quae mihi juveni insunt, viribus, prospere succedant, quae voluerim, despero. Quae tanquam vera et comprobata ad finem hujus dissertationis partis sisti debuissent, jam hic apponam eo consilio, ut illa et in uno quasi conspectu videas et habeas, quibus, quo tendat studium lites et dissensiones componendi, facile cognoscas. Igitur accipienda esse censeo:

1. Melanosin veram i. e. telam recens ortam, quae vita aliqua fruitur et nodorum fibris et cellulis instructorum speciem prae se fert. Quum mirum in modum increscat latiusque serpat, toti organismo perniciem atque exitium adducit eo, quod, quibus ille indiget, vires et nutrimenta consumit ipsa.

2. Melanosin spuriam, s. pigmenta fusca vel nigra, quae aut partes ceteroquin integras tingunt, uti pulmones, glandulas bronchiales et lumbales, membranas mucosas et serosas, aut partes colorant, quae morbo mutatae vel recens ortae a sanarum natura abhorrent, uti scirrhum, tubercula, fungum medullarem.

Omnes de melanosi auctores in tres discedunt ordines.

Primi, quorum Laennec est auctor, propriam illam telam tantummodo melanosin esse habendam proponunt. Favent huic opinioni Dupuytren, Recamier 1), Trousseau et Leblanc 2), nostras Schilling 3) et ex Anglis nonnulli. Deinde alii, illis prorsus rejectis, melanosin a secretionis depravatione petendam et omni ipsius vita esse expertem statuunt, unde, quocunque loco, vita sana, aliquid secernatur, etiam laesa, melanosis conspici possit. Ita judicant Brechet, Heusinger, Andral, et aliquatenus Carswell. — Postremo alii, ut Albers, Cruveilhier, Bendz nec plane negant, nec omnino hanc assumunt opinionem, melanosin arbitrantes nunc telam esse vita praeditam, nunc ejus expertem propius ad secretionis naturam accedere. —

Discrimen ex parte in eo cernitur, ut illi mel[illegible] notionem sensu strictiori intelligant, dum hi, quaecunque ex etymologia insunt, adjudicant voci; qua quidem re explicatur id, ut alii aliis plura melanosi adscribant; gravior autem est quaestio, unde fiat, ut sint, qui illam ullo vitae vel organicae structurae vestigio gaudere negent. Facile credideris, structuram partis cujuslibet in dubio perstare non posse, siquidem in exploranda hac re oculi et culter anatomicus arbitri evadunt. Nec vero ita in nostra re! Ponamus Brechetum, Heusingerum, Andral vocem melanosin latiori sensu accepisse ideoque res illi adnumerasse

1) Sur le traitement du cancer. Paris 1829, T. I, p. 176,
2) Archivés générales de medecine. T. XVII. Juin 1828.
3) De melanosi. Dissert Francof. a. M. 1831.

a Laenneccio non sub illo titulo descriptas, tamen aliquid consensionis in nonnullis ab utrisque de melanosi editis conspicuum esse oportuit. Sed ne hoc quidem! Ab altera parte scimus, melanosin Laenneccii illos non ignorasse. Brechet quidem in scriptis se suaque magis commendat, ratione aliarum opinionum paululum neglecta, Andral vero priorum sententiarum corrector et emendator sibi evadere videtur, quum alia ex illis ut inania tollenda esse censeat, alia ad suam ipsius opinionem magis accommodet. Brechet, Andral, ut tandem dicam, qua in re dissensionem haerere existimem, materia nigra tantum respecta, melanosin Laenneccii fere nihil esse censere mihi videntur, quam fungum vel scirrhum pigmento commixtum. Quae ut sentiam, etiam eo adducor, quod melanosin, si — quod nonnunquam evenit — exulceretur inter tumores malignos, quas vocant compositos collocent, perniciemque, quam corpori inferat, minus melanosi delegent, quam tumoribus illis, quibuscum conjuncta sit. Carswell in universum quidem assentitur sententiae ei, qua melanosis in modum secretionis oriatur, attamen, quum de sacco loquatur interdum eam complexo, quo perscisso et aqua abluto fibrae et filamenta in conspectum veniant vasis nervisque instructa, vinculum quoddam agnoscere videtur, quo illa cum organismo cohaereat.

Jam vero, quodsi melanosis notionem latiori, quo Laennec, sensu comprehendere licet, tunc sane eam disjungere convenit eo, quo supra memoravimus modo.

Ipse Laennec pigmenta probe cognovit, quamvis, quoniam illis, quae de melanosi excogitaverat, non satis respondebant, eodem vocabulo significare noluerit. Quae de

materia pulmonali nigra tradit ad nostram m. spuriam spectare videntur. Contra suae melanosi justo plura adscribit, indurationem nigram illi subjungendo, quum Andral eam saepius nihil aliud esse notet, quam indurationem e priori inflammatione residuam pigmentoque perfusam; quae si vera sunt, magis ad nostram spuriam pertinent. Porro non possumus, quin eorum, quae Brechet, Andral et Carswell de melanosi pronuntiant, plurima m. spuriae inseramus, illis tantum exceptis, quae de tumoribus compositis disserunt, quorum aliqua recte ad m. veram referre licet. Carswell etiam melanosin in veram et spuriam discedere facit, ita quidem, ut illi secretionis perversa subsit ratio, huic carbonii ex aëre intus ingesti accumulatio, vel peculiaris acidorum in corpore collectorum in internа actio. Quae divisio subtilior nobis videtur et ultra finem ac terminos vagatur, quibus supra nostri vocabuli notionem circumscripsimus. Licet laudi tribuendum sit, si quis, more res ex externis tantum signis indagandi derelicto, ex causis progrediatur ad eas definiendas, illas tamen patefactas esse necesse est, ut propositum bono successu peragat. Neque enim quidquam in medicina ratum habendum esse censeo, nisi aut oculis aut justa ratiocinatione comprobatum. Diserte quidem Carswell nobiscum communicat de variis melanosis causis, sin vero quaesiveris, unde sciat nunc hanc, nunc illam melanosi subesse causam, frustra quaesiveris; neque ipse signa certiora sistit, quibus alia ab altera specie distinguatur. Quae quum ita sint, iis, quae conjecturam redolent, missis, veram tantum Carswellii melanosin reservaturi sumus, sic tamen mutatam, ut tuberiformem, quam vocabat, et nostram veram

juxta existimemus, dum reliquas illius species cum nostra spuria exaequamus. —

Recentiores auctores, ut Cruveilhier, Albers, Bendz, uti e supra memoratis emanat, inter se satis conveniunt de pigmentis a melanosi sejungendis, quamobrem fusius de illis loqui jure supersedere mihi videor. —

Jam superest, ut dicam, quid judicandum sit de opinione illorum, qui melanosin pro specie fungi medullaris habent et diversitatem in colore tantum ponunt, sicuti Walther 1), Meckel 2), Zimmermann 3) volunt. Fungum, scirrhum nigro colore infectum iri jam supra pronuntiavimus; fungum autem ita commaculatum melanosin appellare non placet. Nam melanosis, uti alia conformatur tela, ita rarius emollitur, forasque erumpit, neque rupta unquam in fungum extollitur enormem, qui, quum vasis abundet, facile sanguinem emittit. Melanosis, dum venarum decursum sequi videtur, mirum quantis incrementis augetur, nihilominus tamen dolores, quos excitat neque omnino vehementes sunt, neque tanto impetu per membra ruunt. —

Si quis est, qui imaginem morbi perspicuam animo infigere velit, legat, quum ipse et tempore et spatio ad illam expingendam caream, praecipue, quae Bendz 4) collegit exempla, vel quae singula exstant apud Blasium 5)

1) Journal für Chir. u. Augenhlkde. Bd. V.

2) Pathologische Anatomie. Th. II.

3) Dissert. inaug. Berolini 1828.

4) l. c.

5) Klinische Zeitschrift Bd. I. H. 2, 1836.

Natorpium 1) simulque figuris aeri incisis illustrata apud Cruveilhier 4), Albers. —

QUAEDAM AD MELANOSIS AETIOLOGIAM SPECTANTIA.

Etiam in his pervestigandis rebus inter melanosin veram et spuriam nobis distinguendum est. Etenim quaeritur, num utraque ex eadem causa proficiscatur, nec ne? Tumores illi maligni et quae iis subest tela nova, si, quo modo oriantur, rogaveris, in angustias compulsi ad illa refugeremus, quibus omnino telae novae fiunt. Sed ne in his quidem refugium est. Nam quid juvat, quod malum omnium in corpore humorum habitum, vel diatheses, quas vocant, incusamus, quid tandem juvat, dico, quod auxilium e rebus petimus, quae et ipsae abditae sunt et aliarum ansam praebent difficultatum. Etenim qui et qualis est iste malus corporis habitus, qua ejusdem diversitate fit, ut nunc fungus, nunc scirrhus, nunc melanosis prodeant? Attamen, si quid discriminis intersit inter melanosin veram et spuriam, ab eo tantum petendum est, quod in illa vis, quae secretioni et nutritioni praeest, plane alia facta est, ita, ut nimia sua luxurie materias gignat, quae non amplius ad corpus alendum idoneae, sui juris fiunt, per se ipsas vivunt et crescunt, sensimque corpus ipsum consu-

---

1) Dissert inaug. Berolin. 1836.

2) Anatomie pathologique. Livraison XIXe—XXIIe. pl. I. —XXXe pl. 2 . XXXIIe. pl. 3 et 4.

munt. Jam vero si in vi illa proprio modo mutata et depravata telae melanoticae originem ponimus, quaestio est, quo affinitatis vinculo cum pigmento conjuncta sit. Arctius cohaerere videntur, siquidem tela illa fere non nisi nigro foedata colore in conspectum veniat, quamobrem illum malum humorum habitum etiam pigmenta elicere crediderim, ni forte, quod minus placet, unam eandemque causam utrique tribuere malis.

Quae quidem pigmenta quid sibi vellent, Heusingerus 1) solita judicandi solertia eruit. Ex chemica, quam Barruel, Lassaigne, Foy instituerunt, analysi pigmenta e sanguinis elementis composita esse emanat. Quum autem, uti ipse sanguinis cruor, maxime carbonio redundent, e cruore aliquantulum mutato illa conformatum iri probabile est, qua re melanosin jam Barruel judicat differre ab aliis materiis, quae contra regulam ac normam integrae vitae e sanguine originem ducant. Sunt autem complures viae, quibus ex naturae instituto corpus sanum expellere assuevit carbonium, quod tanquam residuum variarum functionum et actionum nil commodi amplius fert corpori. Pars quidem tingit crines et oculi choroideam, alia in adipe inest, qui partes et munit et ambiendo reddit graciles formosasque, plurimum vero per pulmones, hepar et cutem ejicitur. Jam vero si hae partes morbo affectae, quibus debebant, functionibus non satis praestant, neque ex more carbonium emittunt, tunc accumuletur in sanguine necesse est, unde, viis solitis praeclusis, quem-

1) L. c.

libet locum petit. Quam carbonii abundantiam jam per se majorem in aetate provectiori, temperamento melancholico, magis adauctam morbis maxime partium, quae circulationi inserviunt, spirituosorum abusu, humido eoque calido aestu, sane pigmentorum causam esse et ex eo liquet, quod ipsa non solum in vasis parvulis passim deprehendantur, vel tamen ex vasorum decursu compareant, sed etiam in aliis morbis conspiciantur, quorum causas quoque e sanguine petunt, qui carbonio repletus sive nimis venosus sit e. c. in cyanosi, morbo maculoso &c. Ita prudentissimae naturae instituto factum videtur, ut, aliis, quae ad vitam peragendam necessariae sunt, functionibus remissis vel turbatis in pigmentis auxilium sit, sic quidem, ut menstruatione suppressa, cutis non ita raro maculis nigris turpetur, pulmones, si respiratio senibus paululum imminuta est, nigrum induant colorem. Simile quid in equis albis evenire videtur, quibus cute et crinibus non tinctis, pigmenta vicario quodam modo facile in internis partibus coacervantur. —

At vero qua cruoris mutatione et qua actione melanosis ipsa conformetur et colligatur, plane in occulto latet. Fortasse cruor per vasa relaxata permeat, vel, sanguine male affecto, cum sero commixtus defertur, delatusque cum fibrinae et albuminis parte in propriam illam materiam degenerat.

VITA.

Natus sum ego Hermannus Fridericus Baumbach Longosalissae Thuringorum. d. VII. mens. Octobr. Ann. MDCCCXVI, patre Joanne Ernesto, medico practico, quem fatis mihi ereptum jamjam ex decem annis lugeo, matre Joanna e gente Jaeger dei beneficio mihi adhuc servata. Fidem confiteor evangelicam. Literarum rudimentis imbutus sum in Gymnasio Gothano, quod tunc sub auspiciis Rectoris Doering, nunc beati, quam maxime florebat. Deinde in Gymnasio Mulhusano semestre peregi, unde examine rite superato, maturitatis testimonio munitus, mense Majo a. MDCCCXXXV literarum universitatem, quae Halis floret, medicinae operam daturus petii. Ab Ill. Germar t. t. Rectore magnifico inter civium acade-

micorum numerum receptus, ab Ill. Friedlaender t. t. medicorum ordinis Decano maxime spectabili, medicinae studiosis adscriptus per tres annos lectiones audivi. Cel. Ruge de logice; Ill. Hinrichs de psychologia; Ill. de Schlechtendal de botanice generali et speciali; Beat. Nitzsch de zoologia et helminthologia; Ill. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia rei medicae, de pharmacologia, de arte formulas medicas concinandi; Ill. Schweigger de physice et chemia; Ill. Germar de mineralogia; Ill. d'Alton de anatomia universali et speciali, atque de physiologia; idem dux mihi fuit in arte cadavera secandi; Ill. Krukenberg de pathologia et therapia tam generali quam speciali, Ill. Niemeyer de arte obstetricia; Ill. Blasius de chirurgia generali et speciali. Scholam clinicam Ill. Krukenberg per semestre frequentavi. A. MDCCCXXXVIII tempore vernali Berolinum me contuli, ubi a t. t. Rectore Magnifico Boekh civibus academicis adscriptus, ab Ill. Wagner medicorum ordinis Decano maxime spectabili in facultatis album relatus sum. —

Per tria semestria exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, opthalmiatricis et obstetriciis interfui virorum

Illustrissimorum et Celeberrimorum Wagner, Busch, Rust, Dieffenbach, Juengken, Wolff, Barez, Truestedt. —

Praeterea, ut legi reipublicae satisfacerem, chirurgi militaris munus suscepi, quo etiamnunc duce Cl. Dr. Schilling fungor. —

Quorum virorum pie colendorum egregia in me merita grato a e veneror.

Jam vero tentamine tam philosophico quam medico atque examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate superato, spero fore ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Venaesectio inflammationem non tollit.
2. Inter exanthema et ulcus vera [illegible] est [illegible] rent[illegible].
3. Inflammatio asthenica non est[illegible]
4. Bubo syphiliticus, ut tollatur, suppurationem subi[illegible] debet.